



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

31. Quòd magna literatura est scientia, & non sapientia; & quòd contemplatiuis non est omnino necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

Tractatus; Beatus vir, neque valemus omnes nostras affectiones sursum erigere, quin quicumquam earum terræ adhæreat, nam terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, neque possumus ad tantam cordis munditiam hic venire: vt Deo incessanter per feruorem actualis amoris adhæreamus, quia quandiu in corpore viuimus, peregrinamur à Domino.

Hactenus exposuimus tres vias prædictas: & quomodo per eas si orationi & meditationi studiose vacaueris, poteris feriatim ad illud quod optas peruenire, scilicet ad vnionem illam cum Deo amorosam. Et ideo dantes finem huic viæ vnitiuæ, oportet vt nunc saltem breuiter tangamus, qualiter contemplando poteris ad illam seraphicam vnionem pertingere.

QVARTA PARS.

*QVOD MAGNA LITERATURA EST
scientia, & non sapientia; & quod contemplatiuis
non est omnino necessaria.*

CAPVT XXXI.

QVAMVIS multi sancti, & præclari Doctores subtiliter de contemplatione locuti fuerint: sicut beatus Gregorius in Moralibus: & beatus Bernardus super Cantica: & Richardus de sancto Victore in suo libro de Contemplatione; & multi alij, ad quorum tractatus eruditi recursum habere possunt: pro minus tamen eruditus tractabimus saltem breuiter de ipsa contemplatione: licet plura de ipsa in superio-

perio-

perioribus dixerimus. Et primo asserimus non esse necessariam contemplatiuo, scientiæ copiam. Quamuis enim multa scientia, & literatura, eruditioq; legis diuinæ ac sacræ Scripturæ, non modicum apicem contemplationis ascendere cupientibus conferat adminiculum, interdum tamen multum officit multis: non quidem ex se, sed ratione inflationis occasionaliter ex ea prouenientis. Nemo autem ad veram contemplationem scandere valet, nisi per scalam humilitatis, vt ait Apostolus: Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens, hoc est intellectum suum humiliando subiiciat, stultum se æstimans respectu diuinæ sapientiæ: vtpote non valens comprehendere Dei iudicia atque opera. Hinc est quòd in contemplationis adeptione iter ad eam perueniendi pluribus huius mundi sapientibus nil adeo interclusit, quàm quòd se humiliare dedignati sunt, scilicet suum intellectum captiuando & subdendo arcanis redemptionis per Christum Iesum redemptorem nostrum patrata, ac eius operibus tam humilibus exemplis quæ nobis reliquit. Attamen qui per hoc ostium tam humile & bassum non ingreditur, fur est & latro & frustra laborat, prout dicit Dominus: In vanitate sensus sui capite incedens leuato, id est, in magna intellectus sui & scientiæ suæ æstimatione, renuensq; humiliari & effici vt paruulus, nunquam per illam humilem ianuam valebit intrare: immo cespitans retroibit instar quorundam Domini nostri discipulorum: de quibus scriptum est, quòd abierunt retrorsum, cum eum intelli-

geret

gere non potuerunt. Quod etiam constat quibusdam contigisse viris doctissimis, qui vtinam tantam scientiæ copiam non acquisiissent, sed potius in sua simplicitate sicut eorum matres absque literatura permansissent, non ratione scientiæ quæ ex se proficua est, & plurimum prodest bene ea vtenti humiliter & in Dei gratia: sed hoc prouenit ex superbæ surreptione sicut dicit Apostolus, quia scientia inflat. Contingit etiam hoc secundum complexionum & personarum diuersitatem: experientia enim cognoscimus vinum optimum non parum nocere febricitantibus: ensen quoque furioso, si se ipsum eo occidat. Videmus præterea ægris oculis odiosam esse lucem, quæ sanis est amabilis, dulcis, & delectabilis. Simile est de scientia: quæ cum sit bona in se, homini tamen indisposito, & moribus inordinato ea abutenti multum nocet.

QUI SVNT APTIORES AD CON-
templationem.

CAPVT XXXII.

Sicut ait beatus Gregorius Moralium sexto libro, sunt quidam naturaliter, aut ex complexione vel assuefactione adeo ad exteriora occupationesq; terrenas proni, vt ad contemplationem erigi non possint: ad vitam vero actiuam multum aptiores inueniuntur. Qui si contemplationi vacare conarentur, in magnos inciderent errores & blasphemias; eo quod tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto
eis